

quorum tamen usus longe recentior, quam ut ad illa tempora referatur: *γ Burgundia* Comites commemorat, quorum nomen tum nusquam adhuc gentium cognitum auditumque fuit: *δ* Cæsari uxorem adscribit *Agrippinam*, & *Colonium*, quæ ex veteranis Romanorum militibus ejus auspiciis ad Ubios deducta est, nomen ab ea accepisse adserit; manifestissimo nullaque rationis specie excusando errore, quum illa Claudii fuerit Conjux, Neronis mater; id quod ab Historicis ad unum omnibus confirmatur. Adeo ut hæc similisque commatis, quæ illic recensentur, facta & nomina recentiora, quam ut illi ætati adscribi possint, omni illi monumento omnem derogent fidem, illudque prorsus suspectum reddant. Quamquam in eo utique non a veritatis abscedat limite incertus auctor, quod Origines *NASSAVIÆ* ab ævo Julii repetat.

XXI.

Alterum monumentum narrat: Severum Imperatorem, quum in Germaniam expeditionem susciperet, Romanos proceres secum abduxisse quam plurimos, ac in illis patruo suo *Theodosio* cuidam Loppereno *Nassaviæ* Comitum unicam filiam procurasse uxorem, ac postea *Nassavicarum* ditiorum Comitem renunciasse: ita hunc *Theodosium* Romanum, ulteriorem nominis hujus fuisse conservatorem & propagatorem. Sed & hæc narratio suo iterum, quemadmodum superior, se prodit indicio; dum *Christiana* immiscentur nomina, veluti *JO-*
HAN-
C 3